DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

PERTRACTANS

OTITIDEM,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRÆSIDIS & DIRECTORIS,

nec non

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

pro

Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea

RITE OBTINENDA

IN CELEBERRIMA

C. R. ACADEMIA JOSEPHINA,

publicae disquisitioni submittit

Stephanus Száranda,

Hungarus Neoplantensis.

Medicus castrensis.

In theses adnexas disputabitur in Palatio Academiae Josephinae die 27. mensis Julii anni MDCCCXLIV.

Vindobonae.

Typis Caroli Ueberreuter.

PERILLUSTRI

DOMINO DOMINO

PETRO SZÁRANDA,

LIBERAE REGIAE

CIVITATIS NEOPLANTENSIS

ORPHANORUM CURATORI PUBLICO.

PATRI SUO OPTIMO

gratissimus filius.

Notio et Differentiae morbi.

Otitis (ab οὖς ὠτος auris) inflammatio auris — Otalgia inflammatoria — Germanis, Ohrenentzündung — Gallis, otite — Anglis, inflammation of the internal ear, est immodica et abnormis sensus communis exaltatio topica in una vel utraque aure, e majori et morbosa sanguinis ad organon hocce congestione, atque partium irritatione repetenda. Morbus hic omni sane respectu summa medicorum attentione dignissimus, usque ad recentiora tempora haud perfecte adumbratus exstiterat; exactiorem primum cognitionem ejusdem e praeclara Monographia ab Itard concinnata depromere licuit.

Omnes partes, e quibus organon auditus, cujus certe admiranda est structura, componitur, phlogosi corripi possunt, tum isolatae, tum etiam plures adinvicem junctae. Sic aliquando solum auricula externa inflammatur; alias partes cavum tympani efformantes et ambientes, uti: membrana tympani, cellulae mastoideae, et tuba Eustachii, denique et frequentissime quoque ipsa auris interna inflammationis substratum sistere potest, id est vestibulum, cochlea, et canales semicirculares.

Pro varia hac morbi, de quo sermo est sede, dividitur quoque *otitis* in *externam* et *internam*. Majoris vero adhuc momenti videtur nobis esse divisio inflammationis aurium pro charactere morbi *in genuinam*, *veram*, seu melius *phlegmonosam*, et in *specificam*, seu, licet minus apte sic nominatam, *spuriam*. Ex hoc quoque ordine in opusculo praesenti procedendum esse duxeram, ut praemissa Otitide genuina ad illam

specificam fiat transitus, utrasque inflammationes singularum auris partium breviter delineando.

A. Otitis phlegmonosa.

1. Externa.

Substratum inflammationis auris externae sistunt sequentes partes: auricula externa, meatus auditorius externus, atque membrana tympani, singula harum phlogosium seorsim pertractabitur.

a. Inflammatio auriculae externae.

Hypotyposis.

Primum, quo se morbus hic manifestare solet symptoma est dolor in auricula externa percipiendus, ab initio ut plurimum non adeo intensus, est potius sensatio ingrata caloris adaucti, aut sensus pruritus et titillationis molestae: sensim vero augetur, fit tensivus, et ardens, urens, lancinans, aut pungens, continuus continens, aut quidquam remittens, facillime ad meatum auditorium externum propagatus, sub minimo adtactu, manducatione, sermocinatione, influxu aëris frigidi, aut contactu cum liquidis calidioribus multum exacerbandus. In decursu ulteriori doloribus continuo exasperatis, cutis externa, quae auriculam obducit fit rubra multis vasculis sanguiferis injecta, majori ac in statu normali sanguinis quantitate irrigata, unde intumescit saepe ad magnam molem ita, ut duplo vel triplo majus volumen adquirat: forma conchae auris mutatur, sulci nimirum et variae prominentiae ejus vix amplius dignoscuntur, tumor hic non raro ad meatum auditorium externum propagatur, ita ut hujus aditus penitus occludatur, temperatura auriculae multum adaucta tangitur. In maximo gradu dolores immanes saeviunt, ita ut aeger invitus clamare cogatur, auricula tota ardet, cernitur nitens, tensa et praerubra. In plurimis quidem casibus haec inflammatio malum locale

sistit, topicis solummodo phaenomenis stipatum, ast si malum fuerit gravius magisque acutum praecipue in individuis teneris, sensilioribus erethico-nervosis facile motus quoque febriles saepe sat vehementes accedere solent, in specie cephalea plus minus intensa, agrypnia, turbae variae digestionis etc.

Duratio et Exitus.

Frequentissime est morbus acutus, intra aliquot dies finiendus, longe rarius chronicum amat decursum. Sequentes agnoscit terminationes: a) in *resolutionem benignam*, et hujus ope in sanationem perfectam. b) morbus neglectus, aut licet tractatus in majori gradu constitutus abit in *suppurationem*, cujus introitum solita pyogenesis designant phaenomena uti: sensus horripilationis saepius repetitae, dolor obtusus, magis pulsans, tumor quidem increscit sed mollior fit, coloris caeruleo rubescentis, elevatur tandem in medio in apicem albescentem, denique manifesta quae nunc jam percipitur fluctuatio. Abscessus tali modo efformatus et ad maturitatem deductus in plurimis casibus sponte aperitur, et sub faustis rerum adjunctis paulo post occluditur, nulla aut exigua solum formam auris haud defoedante cicatrice post se relicta. In rarioribus casibus, praecipue sub mala aegri constitutione corporis fit suppuratio mali moris, seu *ulceratio*, quae saepe sat magnam auris externae partem devastare solet. c) Rarissime insequitur *Gangraena* idque tunc saltem, si gravis causa excitans locum habuit, aeger morbum neglexerat, aut vero hic cum remediis non convenientibus, uti irritantibus tractatus fuerat; et si exitus hic artis ope limitatus fuerit, tamen integra auricula, aut maxima ejus pars devastatur, in contrario casu funestus quoque obtingere potest exitus. d) Vix unquam genui-

na inflammatio auriculae in indurationem chronicam abire consvevit.

Causae.

Dispositio praeter eam, quae in erysipelas, quod non raro ad auriculam externam propagatur, aut paucas quasdam impetigines quae in auri externa sedem suam figere solent, vix ulla observatur.

Ad causas *excitantes* praecipuas sequentes referri merentur: laesiones traumaticae uti: contusiones, vulnera per ictum, lapsum, pressionem, instrumenta varia aut puncturas insectorum exorta, porro refrigerium quoquo modo susceptum, quam saepissime vero propagatur ut supra dictum erysipelas ad aurim externam, denique impetigines quaedam partem hanc occupare solent, uti in specie valet hoc de Eczemate rubro et impetiginoso nec non lupo e quibus praecipue illud prius ab initio semper cum irritatione imo et inflammatione auriculae incedere solet.

Prognosis.

Est morbus in genere levior, adfecta est pars vilioris dignitatis, malum saepissime resolvitur, aut si etiam suppuratio sequitur, haec in genere feliciter absolvitur, unde prognosis in longe plurimis casibus non infausta statuenda erit.

Therapia.

Cura inflammationis hujus, ut et omnis alius morbi generalibus superstruenda indicationibus. Primae seu causali satisfacimus amovendo; si fieri potest, aut saltem innocuas reddendo causas mali excitantes, in longe pluribus casibus mox ad alteram indicationem tran-

seundum erit. Cura morbi hujus gradui imprimis adcommodari debet, in mitiori casu sufficient cataplasmata emollientia, aut fomentationes, cum aqua frigida oxycrata aut aqua saturnina, (nisi erysipelatosae sit originis, quo in casu ab omnibus humidis et frigidis remediis localibus abstineri, et pars inflammata nonnisi linteis siccis et tepidis foveri debet) denique regimen omni respectu antiphlogisticum, si inflammatio majorem assequeretur gradum, mox depletio sanguinis localis ope hirudinum retro aurim morbosam adplicandarum in usum vocanda erit, denique in maximo phlogoseos gradu imprimis si individuum fuerit juvenile, plethoricum, sanguine dives, non tergiversetur medicus venam aperire et apparatum refrigerantem reliquum in auxilium trahere. Interne dantur purgantia antiphlogistica praecipue eccoprotica aut etiam sales fortiores, pro potu emulsio nitrata. Denique scopo derivante clysmata et remedia epispastica multum levaminis ferre solent. Quodsi his remediis applicitis resolutio tamen non successerit, imo potius morbus ad suppurationem tenderit, haec ipsa remediis notis promovenda erit, praesertim cataplasmatibus emollientibus e farina seminum lini, aut aliis e mica panis et lacte paratis, fomentis ope spongiae decocto quodam mucilaginoso imbutae, denique vaporibus tepidis. Formatus abscessus non profunde situs, in individuis sanis spontaneae rupturae ommitti potest, secus vero utprimum maturatus fuerit cultro aperiatur, quo facto et pure bene expresso, cataplasmata emollientia adhuc per aliquod tempus continuantur, usque dum omnis durities in ambitu abscessus evanita fuerit, vulnus factum vel sponte brevi tempore coalescit, vel leniter adstringentibus ciccatrisatio ejus promovenda erit.

Gangraena exorta novae insurgunt indicationes et quidem: eam limitandi, impediendi, ne productum saniosum absorbeatur, denique labentes vires corporis

augendi. Ad haec postulata adimplenda adplicantur fomenta et cataplasmata stimulantia, ex infuso specierum aromaticarum confecta, mucilago camphorata, pulvis corticis chinae cum carbone; vesiculae gangraenosae nefors ortae inscindendae sunt, denique interne propinantur pharmaca stimulantia roborantibus unita in specie China, Calamus aromaticus, Cortex cinnamomi, Camphora, acida mineralia et potus vinosus cum jusculis similibus.

Qua peculiaris varietas inflammationis hujus adduci solet: *inflammatio auriculae a frigore brumali, seu Pernio auriculae*, haec vero potius ad forum chirurgicum referenda venit.

b. Inflammatio meatus auditorii externi.

Descriptio morbi.

Priori frequentius, et partim illi unita, partim isolata occurrit inflammatio meatus auditorii externi. Occupat haec aut membranam ipsam, quae ductum hunc obvestit, aut partes hujus cartilagineas, aut denique ipsas partes osseas una cum periostio, quamvis ossa nonnisi sub Otitide chronica seu Otorrhoea afficiantur. Morbus hic sequentia agnoscere solet symptomata. Inchoat ut et inflammatio auriculae cum dolore primum quidem titillante, cum sensu ingrato plenitudinis et obstipationis meatus auditorii externi, mox vero augentur hae sensationes morbosae, et aeger percipit gravem imo saepe et gravissimum dolorem pariter ardentem, lacerantem pungentem imo et terrebrantem, qui vero non solum ad ipsam partem affectam restringitur, verum extrorsum semet propagat ad auriculam, faciem et cranium ipsum, non raro odontalgiam quoque provocat; dolor hic exacerbatur sub minimo auriculae adtactu, sub masticatione et loquela, in graviori inflammatione et individuis summe erethicis ad tantam aliquando vehe-

mentiam evehitur, ut aeger semet continuo jactitet, noctes integras insomnes agat imo et deliret. Minimus sonus, strepitus, clamor, lux intensa, calor aut frigus, etc. dolorem hunc pariter adaugent. Praeter symptomata subjectiva alia quoque objectiva phaenomena conspicere licet, et quidem: tenera illa cuticula quae meatum auditorium externum obvestit, cernitur vasis injecta et rubra, temperatura ejus notabiliter aucta est, denique intumescit, unde pro momento obliteratio meatus auditorii externi enascitur, id quod omnem ulteriorem explorationem impossibilem reddit, quae alioquin ob dolores etiam difficilis redditur. Accedunt in decursu morbi susurrus, tinnitus imo et baryecoia. Denique semper evolvitur febris inflammatoria cum calore intenso, cephalea gravi, oculorum rubore, faciei turgore activo, inquietudine, agrypnia, imo in individuis sensilioribus convulsiones quoque et deliria adesse solent.

Decursus et Terminationes.

Potissimum intra brevem terminum morbus cyclum suum absolvit, unice si ossa adfecta fuerint, malum fit chronicum. Finiri vero potest inflammatio haec: *a)* Sanitate per resolutionem symptomatum morbi, in specie rubor et tumor imminuuntur, dolores remittunt et febris evanescit. *b)* Alias obtingunt variae exsudationes, et quidem potissimum circa diem morbi quartum aut quintum effluit ante omnia serum tenue, limpidum, saepe cruentum, sensim sensimque fit spissius, atque in flavum aut viridescentem, saepe male olentem materiam puriformem, aut pus ipsum convertitur, quod si benignum fuerit, post ejus effluxum notabile aegri levamen subsequitur, et subsequa cicatrisatione abscessus occluditur. — Ast non raro materia illa generata acrem praesefert indolem ita, ut partes quas contingit irritet et inflammet. Quodsi etiam suppuratio non obtingat,

semper fere circa finem inflammationis, peculiaris materia consistentiae fere casei in meatu auditorio externo accumulatur, cum simultanea ceruminis secretione adaucta; retro auriculam vero serosa obtingere solet exsudatio. *c*) Alias observantur in meatu auditorio externo pustulae magnitudinis variae, aliquae vix granum milii magnae, penes aut loco harum pustularum adsunt vesiculae liquore seroso repletae, quod uti et pus ipsum jam resorbetur, jam vero excernitur, jam vero ulcera remanent. In decursu similium processuum morbosorum membrana meatus auditorii externi, magnam cum mucosis membranis acquirit similitudinem, secretum ejus fit muco analogum; denique sub cuti ipsa exoriuntur aliquando abscessus, qui tumores causant ductum ipsum obliterantes. Quodsi partes cartilagineae substratum phlogoseos fuerint, facile earum emollitio, imo et perforatio insequitur, haec posterior obtingit aliquando in sequelam abscessus inter processum mastoideum, angulum maxillae inferioris et auriculam ipsam efformato. Denique in quibusdam casibus per secretam saniem acerrimam afficiuntur partes osseae, devastatur periostium, atque caries aut necrosis partis meatus auditorii externae osseae, nec non partis mastoideae subsequuntur.

Causae.

Momentum disponens constituunt, praecipue: aetas puerilis et juvenilis, nec non habitus scrophulosus. Causae procatarcticae praecipue esse solent: laesiones mechanicae variae, corpora peregrina violenter intrusa, uti: nuclei cerasorum, fabae, pisa etc. variorum insectorum morsus; porro calor aut frigus magnum, praecipue refrigerium; variae substantiae medicatae scopo morbos quosdam sanandi in aurim injectae; cerumen mole excedens aut nimis acre etc.

Prognosis.

Faustum praesagium statuendum erit, si gradus morbi sit levior, individuum ab omni labe universali immune et malum non neglectum, secus facile infausti exitus locum habere possunt.

Therapia.

Ante omnia causa morbi excitans, si fieri potest, amoveatur; hinc corpora peregrina, cerumen extrahenda, insecta oleo, lacte etc. auri caute instillatis necanda. In morbum ipsum dirigitur therapia antiphlogistica pro vario morbi gradu plus aut minus generosa, praeter evacuationes sanguinis universales et locales remanentem irritationem optime mitigare solet solutio sacchari saturni (grana sex usque octo in tribus aut quatuor Unciis aquae destillatae), auri immissa. Reliquus apparatus medicamentorum non differt ab eo, supra descripto. Phlogosi imminuta ob sensilitatem potissimum perstantem instillatur oleum quoddam blandum, uti: Oleum hyosciami coctum, aut amygdalarum dulcium recenter pressum. Interne ad exsudationes varias praepediendas, datur plerumque bono cum effectu calomel, cui ob dolorem fors vigentem extractum hyosciami addi solet, suppuratione instante abscessus more solito maturetur, conveniunt optime huic fini vapores tepidiusculi ex aqua, lacte, decoctis mucilaginosis, ope machinae Mudgeanae adplicati, cataplasmata emollientia, addendo si dolor gravis fuerit narcotica, uti herbam hyoscyami, cicutae etc. Injectiones licet cum substantiis indifferentibus, ad abscessus maturandos ab aliquibus propositae, maxima cum cautela institui debent. Si abscessus sponte aperiri tergiversetur, arte reserandus erit. Quodsi latex purulentus acrem et saniosam praeseferat indolem, haec mitigari debet, cui scopo varia remedia a variis medi-

cis proposita sunt, ita Rauch commendat extractum chamomillae alcoholico-aquosum, in aqua calcis solutum, Buchmann acidum pyrolignosum addendo saccharum saturni (Rpe. Acetatis plumbi sicci grana decem, Acidi pyrolignosi guttas viginti, Aquae destill: Uncias sex) fiant cum his et similibus remediis aliquoties de die injectiones. In atonia et laxitate membranae meatum auditorium externum cingentis applicantur adstringentia, ab initio Sulphas Zinci, Sulphas vel acetas cupri, serius Nitras argenti in solutione addendo Tincturam opii simplicem aut compositam. Caries aut necrosis e devastato periostio subsequuta sananda, unice naturae medicatrici committenda erit, quae sola partes destructas per processum exfoliationis amovere, et novam substantiam osseam generando partes amissas redintegrare valet; unicum quod medicus in hoc negotio ad naturam sublevandam facere potest, est: partes depurare, et nonnisi torpore locali vigente leviter irritare, id quod optime cum tinctura Myrrhae, Croci etc. succedit.

c) Inflammatio membranae tympani seu Myringitis.

Sola pro se vix unquam existit, verum semper aut cum partium externarum, aut vero auris externae inflammatione incedit; in specie tuba Eustachii et cellulae mastoideae, fere semper phlogosi simultanea correptae sunt. Symptomata inflammationis membranae tympani sequentia esse solent. Incipit ut et reliquae inflammationes potissimum cum dolore ardente et pungente in profundo auris magis sito, continuo, fixo, cum maxima sonorum intolerantia, minimi quippe jam soni, dolorem multum intendunt, sub motu maxillae inferioris dolor ille non exacerbatur, ut in inflammationibus hactenus descriptis observare licuit; praeter dolores alia quoque adsunt subjectiva morbi indicia,

accusant nimirum aegri varias species auditus perversi, uti: tinnitum, susurrum, et praecipue bombum, denique haud raro mox ab initio morbi baryecoja adesse solet. Quod objectiva phaenomena morbi, membrana tympani speculi ope explorata, manifestat ruborem jam laetiorem, jam vero profundum, imo saepe et vasorum tenuissimorum injectionem; porro tumet tympanum pelluciditate sua orbatur, unde fit opacum. In meatu auditorio externo plerumque aucta videtur ceruminis secretio. E parte reliqui organismi solita adsunt symptomata, utpote febris inflammatoria sat valida cum gravi cephalea, erethismo totius systematis nervosi multum aucto, unde pervigilio, inquietudine etc.

Duratio et exitus.

Inflammatio tympani solet jam acutum, jam vero magis chronicum habere decursum, posterius fit ubi suppuratio subsequuta est. Terminatur a) in pluribus casibus per resolutionem in sanitatem, symptomata morbi omnia sensim sensimque imminuuntur et evanescunt, unice peculiaris in aure sensilitas adaucta aliquod per tempus remanere solet. b) Alias obtingit inter ejus laminas exsudatio lymphae coagulabilis plasticae, et in hujus sequelam lympha in circulum non resorpta obscuratio, incrassatio, induratio, in specie in substantiam cartilagini analogam conversio, cum auditus difficultate saepe non sananda. c) Nonnunquam enascuntur in tympano pustulae, quae ruptae non illico occluduntur, verum in ulcera abeunt, quae non raro membranam tympani perforant, atque ipsam aurim internam adgrediuntur. *d)* Gravior inflammatio plerumque in suppurationem abire consuevit; in aliqua tympani parte, potissimum vero in peripheria efformatur abscessus sub forma maculae albo-flavae, qui dum aperitur, effunditur pus per tympanum perforatum jam extrorsum in meatum

auditorium externum, jam quod pejus in cavum tympani; aliquando adgreditur pus ossicula auditus quae ex integro devastantur, si chronica fit inflammatio haec, tunc dolores per intervalla recrudescunt, retia vasorum secus subtilissima, fiunt densa, et luxuriant, observantur nonnunquam excresscentiae jam molles, jam durae, fere cartilagineae consistentiae sanguinem facile plorantes; tympanum ipsum potissimum perforatum est, fundit materiam puriformem, qui in meatu auditorio externo diu retentus hujus quoque inflammationem causare valet; ossicula auditus plerumque carie affecta sunt, auditus hoc in latare sublatus est.

Causae.

Tum disponentia tum excitantia momenta eadem esse solent, ut in inflammatione meatus auditorii externi dictum fuit, praecipue: fragor tormentorum bellicorum, rudis et incauta digitorum aut instrumentorum in aurim intrusio, ventus frigidus aurem specialius percellens.

Prognosis.

Varium est in hoc morbo praesagium pro vario gradu morbi, et causarum facili aut difficili amotione. Resolutione non insecuta plerumque perennis ut dictum remanere solet Baryecoia aut plane Cophosis.

Therapia.

Ante omnia causa morbi excitans respicienda est, qua ablata aut amplius non praesente inflammatio ipsa impugnatur methodo antiphlogistica gradui morbi, et constitutioni individui adcommodata; cavendum vero est ab omnibus instillationibus aut plane injectionibus. Exsudatione lymphatica ingruente dantur remedia absorptionem exsudati promoventia, ergo interne rursus

Calomel, externe applicatur Unguentum mercuriale cinereum, utrique remedio in casu sensilitatis exaltatae adjungitur laudanum. Pustulae exortae ab initio emollientem exposcunt medelae rationem, dein vero leviter adstringentem, uti Tincturam opii simplicem aut compositam, suppuratio nefors secuta foveri debet per nota jam remedia, et abscessus natura vel arte aperti, sanatio instillantibus, e solutione sachari saturni, lapidis divini, aut vitrioli albi cum tinctura opii cauta manu susceptis promoveri. Demum in casu inflammationis chronicae, magna praecipue attentione opus est; sub exacerbatione mali sanguinis evacuationes locales in usum vocentur, fracta vero per has phlogosi, praecipue bono cum effectu adhibentur derivantia et revellentia ad cutim externam uti: emplastrum cantharidum aut euphorhii, unguentum e tartaro emetico, denique fonticuli, cum simultanea purgantium, praesertim drasticorum mitiorum porrectione. Luxuriantia vasa tympani tractantur adstringentibus supra dictis, augendo vero dosin aut meram tinctura opii crocatam aliquoties per diem ope penicilli adplicando. Excrescentiae fungosae quo casu enatae eodem hoc remedio tentantur, quodsi vero omnia incassum medicus in usum vocasset, nil super est, quam caustica ipsa adplicare, et quidem: Nitratem argenti, aut butyrum Antimonii, e quo posteriori singillatim una alterave gutta, ope penicilli lignei cautissime excrescentiis illis admovetur. Perforatio membranae tympani sistit malum absolute insanabile.

2. Otitis interna.

Malum hoc summe periculosum neque adeo rarum pro sede sua agnoscit partes retro membranam tympani sitas, et aurim internam constituentes, uti: vestibulum, canales semicirculares et cochleam; in longiori vero duratione, praecipue si in suppurationem aut ul-

cerationem abeat: Otitis purulenta aut ulcerosa, ipsum quoque periostium, atque pars petrosa ossis temporum afficiuntur, denique potissimum inflammatio ad vicinum cerebrum ejusque membranas propagatur.

Symptomata.

Causa praegressa incipit plerumque more aliarum inflammationum genuinarum graviorum cum valida febri inflammatoria, hujusque indiciis consuetis, nempe cum frigore valido, quod excipit calor summus non tamen mordax, longum per tempus durans, vespere praecipue multum auctus mane remittens, sequitur paulo post dolor, qui non semper in auri ipsa incipit, verum nonnunquam se in capite qua haemierania intolerabilis declarat, ast paulo post ad aurim ipsam restringitur, in cujus fundo aeger gravissimum accusat dolorem pungentem, urentem, pulsantem aut terrebrantem, qui vero celerrime ictus electrici instar ad vicinas partes, nimirum: ad regionem temporalem, occipitalem, imo per tubam Eustachii ad fauces quoque et linguam ipsam propagatur; augetur dolor hic sub minimo motu capitis, aut solummodo maxillae inferioris, sub deglutitione, tussi, sternutatione, aut minima exstimulatione sensuum externorum, summus est totius systematis nervorum erethismus, adest oxyopia, oculi sunt ita sensiles ut nec minimam ferant lucem, adest oxyecoia, minimi jam strepitus dolores summopere incitant, sic etiam odores, et omnes alii stimuli externi et interni, qui quomodo in nervos agunt minime ab aegro feruntur; saepe ad eum usque vehementiae gradum extollitur dolor ille, ut somnus ex integro tollatur, aegri continuo ejulent, et clamant, motus convulsivos exerceant, atque in furibundum non raro delirium incidant. Cephalea perstat immensa, oculi sunt sanguine suffusi, protuberantes, et saepe lacrymabundi, continuus aegrum excruciat tinnitus, su-

surrus et pulsatio auris externae vel utriusque; facies tota turget, calet et profunde rubet, non raro sociatur gravis odontalgia et prosopalgia, lingua est subsicca, sitis inexplebilis, appetitus ad imum prostratus aut nullus, saepe adest vertigo, temulentia capitis, nausea; vomitus, alvus est clausa, urinae excernuntur flammeae et cum ardore, cutis tangitur sicca, pulsus duri, frequentes etc. vehementiam morbi indicantes. Objectiva symptomata deficiunt si inflammatio internas solummodo partes auris occupat, mox vero semet manifestant, quamvis et reliquae organi hujus, aut plane cavi oris et faucium partes phlogosi corripiuntur. In maximo autem morbi gradu adsunt signa manifesta meningitidis aut ipsius encephalitidis, ubi nimirum inflammatio a labyrintho ad ipsum cerebrum aut hujus solummodo velamenta transgressa est, et quidem duplici sub forma meningitis ipsa semet manifestare solet, prouti quod frequentius occurrit, delirium, aut soporis imago praevalet; in priori casu adsunt deliria furibunda, vertigo, temulentia capitis, oculorum splendor, obtutus minax, facies summe calens et turgens, carotidum et temporalium pulsatio vehemens, vox et loquela clamorosa, pulsus fortissimi, pleni, frequentes, in alio vero casu sopor cum oculorum distorsione et strabismo, cophosis plenaria, subsultus tendinum, lypothymia, alvi et urinae missio involuntaria, subsequitur frigus, pallor et livor artuum, convulsiones, paralysis atque mors apoplectica aut paralytica.

Decursus duratio et terminationes.

Otitis interna in genere acutissime decurrere consvevit, praecipue si encephalon ipsum in compassionem tractum fuerit, quo in casu ut dictum plerumque paucos intra dies mors subsequitur; tristis hic exitus etiam evenire potest, si morbus gradus quidem minoris, et

decursus magis chronici fuerit, aut partes nobiles per exitus inflammationis malignos devastatae fuerint. In rarissimis casibus sanatur. a) Otitis acuta per benignam resolutionem, idque tunc solum, si pars membranacea cavi tympani, aut cellulae mastoideae unice phlogoseos substratum constituerint, ad hunc vero faustum exitum confert multo minus ars, plus facit natura ipsa per salutiferas criticas evacuationes, variis in partibus obtingentes, uti: epistaxin, sudores aut urinas criticas, denique per evacuationes idiostaticas, quippe profluvium jam serosum, jam lymphaticum, jam etiam purulentum, sive per meatum auditorium externum, sive per tubam Eustachii. b) Longe frequentius gravia oriuntur mala inflammationis, etsi legitime interquae comunissimum est suppuratio, quae vero ob difficilem puris egressum haud fausto coronatur exitu. Varias vero sibi pandit, pus vias, queis excernatur, unde et varii oriuntur effetus. In plurimis casibus aperitur extrorsum trans membranam tympani, quae maximo sub dolore et frigore ab aegro percepto rumpitur, effluit liquor purulentus spissus, opacus, sanguine mixtus, sat felix rei eventus. Alias egreditur pus per tubam Eustachii ad cavum oris, unde cum tussi aut vomitu ejicitur, denique aliquando aperitur abscessus ostio fistuloso in processum mastoideum. Rupto abscessu et pure effluente, cumprimis in prioribus binis casibus levamen experitur aeger. Non raro tamen materia purulenta accumulata stagnat in cavo auditus interno, ex quo nullo modo egredi valet, id quod gravia symptomata et molestias summas causat; frequentissime fit hoc, si tuba Eustachii simul obliteratur. Quodsi pus per mastoideum processum sibi exitum paret, semper ossis hujus cariem inducit, quo facto effluit latex quidem purulentus, ast malignus, virulentus, foetidus, acris, coloris viridescentis, qui ossa vicina saepe ad magnam extensionem devastat. Etiam dynamica consectaria otitidis internae habentur, prae-

sertim auditus gravedo, aut plane cophosis, difficulter aut non sananda. d) Non raro abit Otitis acuta in chronicam — Otorrhoea purulenta secundum Itard: haec saepe adeo occulte et clandestine decurrit ut longo tempore nec advertatur; praecipua ejus indicia praeter dolores minus quidem feroces, ac in acuta sed saepe recrudescentes, sunt: aurium susurrus et tinnitus, barycoia, effluxus liquoris mucoso-purulenti per vices rediens. Exitum agnoscit ut plurimum malum: humor dictus convertitur in ichorem aut saniem virosam coloris fusci, consistentia tenuem, odoris summe ingrati, instrumenta argentea nigro colore tingentem; subsequitur prius aut serius exfoliatio partium per cariem destructarum, quodsi ichori atque particulis exfoliandis exitus non denegetur, sanitas subsequi poterit, in casu contrario ulterius serpit sanies maligna, petit partes inferiores colli, producit ibidem inflammationem chronicam hujusque ingratos effectus, aut vero devastata parte petrosa ossis temporalis meninges, imo ipsum cerebrum corripit, unde harum partium inflammatio magis chronica cum subsequa suppuratione, exulceratione, malacia etc. hosque exitus excipiente morte, quae igitur in omni casu otitidis licet gravissimae unice ex affectione meningum et encephali lethali insequitur.

Aetiologia.

Disponunt in morbum hunc gravissimum et ut vidimus periculosissimum sequentia momenta: aetas infantilis et puerilis, sexus magis femineus, constitutio tum totius corporis, tum praecipue organi auditus erethica, regimen praesertim capitis nimis molle et callidum. Causae excitantes sunt: a) *idiopathicae*, omnes influxus mechanici, ictus, contusio, percussio, vulnera auris et capitis, totius hujus commotio, ossium cranii fractura aut impressio, rudis et incauta digito-

rum et instrumentorum in meatum auditorium intrusio, impetuosa fluidorum acrium, fervidorum, aut frigidorum injectio, corpora peregrina, uti: nuclei cerasorum pisa etc. illapsa et impacta, insecta aut vermes ibidem haerentes, ventus frigidus aures percellens, refrigerium capitis aurisque subitum praesertim exaestuationem excipiens; b) *symptomaticae*, difficilis dentium, praesertim molarium eruptio in infantibus, eorum caries, aut violentae evulsiones in adultis, nimium brevis capillorum rescissio, radii solares, in caput nudum directi, soni vehementes, uti: a tormentorum bellicorum fragore excitati, porro inflammationes partium vicinarum, in specie: tonsillarum, parotidum, faucium, meatus auditorii externi, tympani, cerebri ejusque meningum, exostoses ossium cranii, tumores cystici, sanguinis extravasata, erysipelas faciei, irritamenta gastrica fortiora, profluvia normalia vel habitualia, praesertim epistaxis, exanthemata aut impetigines cutis suppressae, metastases variae purulentae et lacteae; denique c) quandoque symptomatica observatur otitis in febri inflammatoria, aliisque morbis diversis, ubi tamen specificae potius nomen meretur.

Prognosis.

Ex iis quae de otitidis effectibus, decursu, terminationibus et de causis prolata sunt, debite consideratis facile prognosis efformatur. Eo periculosior est morbus, quo magis adfectae sunt partes labyrinthi, in omni casu quam pessimus timendus est mali exitus.

Therapia.

Morbus est characteris summe inflammatorii et acutissime decurrens igitur generosissimus apparatus antiphlogisticus, isque maxima cum promptitudine,

praesertim ab initio morbi in auxilium vocari debet. Absolute itaque necessariae sunt depletiones sanguinis universales et locales per sanguisugas, ad tempora, emissaria Santorini, retro aurem affectam adplicata; in casu suppressi alicujus profluvii cruenti habitualis in vicinia organi, in quo processus vitalis turbatus est; vi morbi non fracto repetendae erunt ambae sanguinis evacuationes, quae nullo alio remedio suppleri possunt. E reliquo Pharmacorum penu desumuntur antiphlogistica, eccoprotica, emollientia, lenientia et relaxantia. Respondent cuncta haec remedia morbo ab initio frangendo ac resolutionem desideratam inducendo. Orta exsudatione fluidi seu serosi seu lymphatici ad illam imminuendam, resorptionem vero intendendam adhibentur mercurialia in- et externe. Suppuratio facta cursum sibi destinatum permeare debet, aut eam solummodo et prómovere potest, vapores emollientes tepidulos in cavum oris, narium aut meatum auditorium externum immittendo, aut per cataplasmata e speciebus jam dictis parata. Maturato jam absessu hujus spontanea ruptura haud unquam exspectetur, quia juxta medicorum observationes frequentissime surditas enascitur, aut facile haeret justo diutius pus in cavo auris, atque sic sinus fistulosi multarum partium exoriuntur, hinc tympanum arte potius pertundatur, ut sic puri exitus liber admittatur, ad depurandum abscessum adhibentur injectiones quidquam aromaticae e. g. e floribus chamomillae, herba thymi, melissae etc. infusis, aut ex iisdem his substantiis cataplasmata aromatica confecta. Profusam puris secretionem refrenare conamur per injectiones solutionis dilutae e saccharo saturni, lapide divino, Sulphate Zinci. Otitis chronica tandem fere cum acuta exposcit methodum medendi, morbi gradui, et symptomatibus praevalentibus, adcommodatam; venaesectionibus vero in genere carere possumus, sufficiunt locales depletiones, potius per cucur-

bitas quam per hirudines; praeterea vesicantia, Unguentum Autenrithii, setacea et fonticuli, locis aptis adposita. Efflluxus ichoris aut saniei nullatenus per remedia adstringentia supprimatur, verum imprimis indoles ejus acris, fluidis blandissimis tum per meatum auditorium externum, tum per tubam Eustachii injectis mitigetur; quo praemisso ea suppeditantur pharmaca, quae adstringentem in partem affectam exserunt virtutem, huc: infusum florum chamomillae cum Tinct. Myrrhae et melle rosarum, alumen, terebinthina etc. Similis instituitur cura in carie per processum helcoseos exorta; praemittuntur pariter injectiones fluidorum blandorum, dein vero ad exfoliationis processum adjuvandum leniter irritantia et adstringentia applicantur, singulariter: infusum chamomillae, salviae, scordii cum tinctura opii, myrrhae, sabinae, aloës etc, saepissime de die injiciendo. Interne hoc in ċasu dantur remedia roborantia, et plastica, cum analoga diaeta bene nutriente. Meningitis aut Encephalitis suam exposcunt curae rationem, denique surditas aut saltem auditus difficultas remediis antiparalyticis in- et externis tentatur, alioquin saepissime incassum.

Inflammatio tubae Eustachii vel Syringitis.

Morbus hic rarissime solus pro se occurrit, verum frequentissime cum otitide interna, aut angina faucium unitus cernitur. In primo casu e sequentibus noscitur symptomatibus: adsunt dolores pungentes continui, a postica laterali parte faucium incipientes, et ad aurim internam, imo ad meatum aditorium externum propagati, praecipue sub motu musculorum maxillae inferioris, faucium, vel palati penduli adaucti; porro susurrus, tinnitus et baryecoia cum sensu plenitudinis et obliterationis in aure; reliqua phaenomena, quae adsunt referuntur tum ad febrim comitantem, tum ad morbos

alios, e quibus inflammatio haec evolvitur, uti anginam faucium aut inflammationem partium auris internarum.

Exitus. Frequenter inflammatio haec resolvitur, alias obtingit exsudatio lymphae plasticae, quae tubae parietes conglutinat sicque eam obliterat, nonnunquam pus generatur, quod aut in fauces effunditur, vel si hoc per tonsillarum tumorem impediatur trans tympanum perfossum egreditur; denique fit aliquando malum chronicum, unde pertinax subsequitur blennorrhoea.

Causae. Frequentissime refrigerium corpore toto, aut in specie cavo oris, sub sermocinatione diuturna, cantu, cursu, equitatatione praecipue contra ventum frigidum susceptum; incauta et rudis catheterum immissio, similes fluidorum acrium injectiones, inflammationes partium vicinarum praesertim ut notatum faucium et cavi tympani.

Therapia. Innititur regulis iisdem ut reliquae inflammationes jam adductae; singulariter vero adhibentur vapores emollientes ope machinae Mudgeanae, aut in hujus defectu ope infundibuli inversi cavo oris et narium suscipiendi. Exsudatio lymphae, suppuratio et laxitas mucosae ejus tunicae, cum simultanea blennorrhoea chronica iisdem oppugnantur remediis ac supra dictum fuit.

B. Otitis specifica.

Adducuntur quam plurimae ab auctoribus, praecipuam considerationem merentur sequentes:

1. Otitis erysiplatosa. Erysipelas aurium.

Pro substrato agnoscit partes auris solum externas, uti: cutim auriculae et velamentum meatus auditorii externi, si vero ulterius migrat, tunc internas quoque occupat partes.

Distinguitur phaenomenis e quibus generatim Ery-

sipelas cognosci solet; praecedit in loco affecto praecipue in auricula externa pruritus, aut ardor, sequitur calor auctus, rubor rosaceus non exacte circumscriptus in gradu majori in flavicantem vergens, sub pressione digiti mox evanescens, ast illa cessante illico revertens, successive formatur tumor parum elevatus, potius in latum extensus aeque non limitatus, durus, levis, et splendens, qui saepe usque meatum auditorium externum propagatur, nunc dolores fiunt tensivi, urentes, non tantum partes inflammatas verum vicinas quoque, uti tempora, collum, et nucham occupantes; adsunt simul hallucinationes sensus auditus; ex glandulis sebaceis liquidum spissum viscidum flavicans, quod aëre in crustas squamosas firmiter abhaerentes exsiccatur. Praeter haec symptomata localia, semper quoque adsunt signa universalia febris erysipelaceae, quae vix unquam abest cum simultanea nausea, vomituritione imo et vomitu, oppressione ventriculi, cephalaea etc. Haec morbi imago valet solum de erysipelate simplici aut vulgari, habemus adhuc speciem unam, perstante charactere morbi erethico, sub nomine: *erysipelas bullosum* aut *vesiculare*, efformantur namque in superficie cutis vesiculae variae magnitudinis, discretae aut invicem confluentes, fluido limpido, flavicante repletae, notabilem pruritum et ardorem causantes. Praeter characterem inflammationis et hanc comitantis febris consensualis, duas alias habemus varietates erysipelatis, et quidem:

a) *phlegmonosum*, in quo omnia symptomata localia et universalia magis explicata sunt: rubor est profundior in bruneum magis vergens digiti pressione non ita facile cedens magis circumscriptus, calor valdopere adauctus, tumor splendens quidem sed magis elatus et circumscriptus, dolores vehementes. continui fixi, febris est inflammatoria suis stipata indiciis.

b) *E. oedematosum*, ubi vix inflammationis phae-

nomena percipiuntur: rubor roseus vix observandus, calor plane non auctus, tumor pastosus late extensus, dolores minimi aut nulli, febris deficit.

Denique distinqui solet *E. idiopathicum* ab *E. symptomatico*, cujus sequentes notamus species.

1. E. ex affectione qualicunque hepatis, praeter hujus status, phaenomena praecipua color partis inflammatae est magis flavus.

2. E. e muco primarum viarum.

3. E e vermibus intestinalibus, in utroque hoc casu, offert Erysipelas characterem oedematosum, praeterea adsunt manifesta indicia muci et pituitae, aut vermium in organismo nidulantium.

4. E. ex haemorrhoidibus suppressis, ubi color in profundum venosum vergit.

Exitus. Erysipelas vulgare communiter resolvitur sub processu desquamationis - *E. squamosum*, epidermis secedit sub forma furfurum, aut laciniarum majorum, nonnunquam figuram auriculae et pori acustici praeseferentium, alias abit in suppurationem - *E. pustulosum*, in genere fausto cum eventu, nisi ulceratio oriatur, quo in casu ossa afficiuntur, unde caries, fistulae mali moris et cicatrices defoedantes. Denique rarius tendit in gangraenam, praecipue si inflammatio humidis, frigidis, aut irritantibus remediis curatur.

E. phlegmonosum plerumque suppuratione, rarissime gangraena finitur.

E. oedematosum, si non resolvatur, abit in oedema.

Aitiologia. Disponuntur individua juniora, sexus sequioris, cum habitu pastoso, cuti tenera succis plena, homines injuriis externis non adsueti, qui omnem aërem fugiunt corpus valde sollicite muniunt, periodi menstruationis, graviditatis et lactationis. Excitantes causae sunt: in *idiopathico* frequentissime aëris vicissitudines, pecularis atmosphaerae constitutio, influxus

mechanici leviores, punctio insectorum, irritationes chemicae; in *sympatico* ut dictum, morbi varii hepatis: irritatio, inflammatio, vitia organica, stagnationes venae portarum, porro indigestio a ciborum quorumdam esu, uti: cancrorum, piscium, ostrearum, fragarum, aut rerum pinguium, rancidarum et acrium, pituita et vermes intestinales; haemorrhoides turbatae et denique erysipelas a partibus vicinis ad aurim propagatum.

Prognosis. Varia est pro gradu, praecipue vero pro charactere et exitu morbi: Erysipelas simplex squamosum et bullosum facillime sanatur, phlegmonosum plus periculi inducit, denique oedematosum hydropem chronicum causare potest.

Therapia. In erysipelate simplici requiritur therapia leniter antiphlogistica, et diapnoica, praeter diaetam tenuem sufficiunt remedia oeccoprotica et sudorifera; praeparata sambuci, tiliae aut ammoniae; externe lintea sicca tepida non gravia. In E. bulloso vesiculae nimis tensae, aut pungantur aut forficula aperiantur, et lintei carpti ope exsiccentur, ad crustas amovendas illinitur oleum blandum, cremor lactis butyrum recens, aut unguentum pomatum; suppuratio remediis consvetis promoveatur. E. phlegmonosum generosam exposcit curam antiphlogisticam, in hoc unico casu epithemata humida applicari possunt, seu frigida, ab initio, seu calida, orta suppuratione. — Gangraena forsitan orta curatur, ut supra in tractatu de Otitide genuina dictum erat. E. oedematosum stimulantibus tractatur; applicantur sacculi aromatici, e pulvere florum Chamomillae, Sambuci, et farina fabarum confecti ab extus camphora tritis; interne fortiora diaphoretica, aut diuretica, utraque phlogistica propinantur. In E. ex affectione hepatis, haec curatur vario modo pro indole morbi, jam antiphlogisticis, jam solventibus, jam antibiliosis-si pituita tenax, aut entozoa causam mali sistant, evacuanda sunt; denique in E. ex haemorrhoidibus suppressis

orto, processus hic turbatus revocandus erit per sanguisugas perinaeo applicitas, et interne pulverem haemorrhoidariorum e flor. sulph. lotis, magnesia carbonica, cremore tartari, et sacch. albo.

2. Otitis catarrhalis.

Sedem suam agnoscit in tunica meatus auditorii externi, et membrana mucosa auris internae, nunquam vero phlogosis haec ad aurim ipsam restringitur, verum in omni casu vicinarum quoque partium, uti: narium, oris, pharyngis et laryngis membrana mucosa inflammatur. Occupat itaque otitis catarrhalis externa, meatum auditorium externum, interna vero membranam mucosam tubae Eustachii, cavi tympani, et cellularum mastoidearum.

a. Otitis catarrhalis externa.

Praecedit sensus titillationis ardoris et siccitatis in meat. audit. ext. perquam molestus, qui paulo post in verum dolorem ardentem convertitur, aeger hunc dolorem digitum motu automatico in porum acusticum externum, quam angustatum extendere vellet inferendo, exasperat, vespere malum exacerbatur. Membrana porum acusticum ext. investiens cernitur pallide rubra, et quidquam tumidula, sub attactu valde sensilis: secretio ceruminis suppressa est: intra paucos dies saepe jam prima morbi die mucus tenuis secerni inchoat, praeprimis tempore matutino cum aegri levamine; alias vero morbo increscente dolores fiunt graviores, continui, pungentes, sub motu auriculae, maxillarum, aut exploratione augendi, imo et somnum arcentes; tunica meatus audit. ext. multum tumet et rubet, saepe tympanum ipsum per consensum inflammatur; aliquando pustulae in conspectum veniunt in ulcera paulo post

transeuntes, quae facile tympanum perforant. Mucus secernitur largus, spissus, coloris flavicantis aut viridescentis in auri externa facile indurescens crustas efformat, simultanea vero adest baryecoia.

b. Otitis catarrhalis interna.

Orditur cum solitis febris catarrhalis signis quippe horripilationibus saepissime recurrentibus, capitis gravedine, sternutatione frequenti, illacrymatione, coryza, voce rauca, tussicula, atque dein in auri ipsa accusat aeger dolores lancinantes, aut scindentes sat vehementes, ad vicinas capitis et colli partes propagatos, sub masticatione, deglutitione ac emunctione auctos, vespere simul cum febre exacerbatos, praeterea adsunt sensationes variae in auri: tinnitus, sirigmus, bombus, susurrus imo et baryecoia, magna simul sonorum etsi leviorum impatientia. Post aliquot dies muci largioris inchoat secretio, quo facto mox symptomata morbi remittunt; tuba Eustachii fors obliterata, mucus in cavo tympani accumulatur, tympanum ipsum multum extenditur, denique et rumpitur.

Exitus. In longe plurimis casibus post unum alterumve cyclum septenalem, solitis sub crisibus evacuatoriis tum idiostaticis tum apostaticis morbus resolvitur, cum larga scilicet et facili muci puriformis per meatum audit. ext., et tubam Eustachii excretione. Alias fit malum chronicum quod in meatu audit. ext. se imprimis manifestat secretione ceruminis alienata, quae copia augetur, simulque qualitatem offert abnormem, consistentiae cremoris lactis, coloris flavescentis; morbus hic per annos vigere solet, quin ullas majores molestias aeger experiatur, donec tandem auditus quoque sensim sensimque imminuatur; effluvium mucosum jam auctum jam imminutum est, egreditur mucus jam puriformis, jam magis albuminosus, modo blandus, alias

ita acris ut in meatu audit. et auricula erosiones, ipsa plane ulcera exoriantur. Si vero phlogosis chronica in partibus internis potius sedem suam figat, facile excrescentiae variae, polypi, incrassationes, aut plane callositas membranae mucosae oriri possunt. In utroque vero casu superstes remanet baryecoia aut etiam plenaria cophosis.

Causae.

Frequentissime morbo hoc laborant infantes et pueri scrophulosi, teneri, a parentibus syphiliticis aut arthriticis geniti. Momentum occasionale frequentissimum est refrigerium vel totius corporis, vel in specie capitis aut saltem aurium: hinc tempestas nebulosa, humida et simul frigida, atmosphaerae vicissitudines repentinae, porro dentitio difficilis, suppressio profluviorum habitualium, exanthematum aut impetiginum etc.

Prognosis.

Acuta inflammatio in genere benignum admittit praesagium, minus faustum in chronica statui poterit.

Therapia.

Otitis catarrhosa externa in minori gradu eandem exposit curam leviter antiphlogisticam ac in genere affectiones catarrhales, in specie inchoante profluvio muci largioris fiunt injectiones tepidulae ex praeparatis plumbi cum tinctura opii crocata. In majori inflammationis gradu etiam therapia magis antiphlogistica in auxilium vocari debet, applicantur sanguisugae pone aurim affectam tum cataplasmata et fomenta emollientia, derivantia tum ad cutim tum ad intestina, interne quoque dantur refrigerantia, nitrum, purgantia etc. In-

gruente blennorrhoea eadem remedia ut supra dictum applicantur; dosim solummodo augendo, aut his non sufficientibus ad fortiora transimus adstringentia, uti: sulphatem Zinci, lapidis divini, aluminis etc. Quodsi morbus acutus convertatur in chronicum, vocantur in usum remedia dirivantia fortiora, tum ad tubum intestinalem per laxantia drastica, tum ad cutim externam per emplastrum cantharidum, aut vesicatorium perpetuum nuchae vel brachio adplicandum, aut unguentum Autenrithii eidem regioni infricandum, porro injectiones fiunt cum pharmacis magis adstringentibus et simul irritantibus, uti: acido pyrolignoso, nitrate argenti, kali caustico. Eadem haec caustica exposcunt excrescentiae polyposae et aliae in poro caustico externo enatae.

Cura otitidis catarrhalis internae.

Adhibentur ab initio eadem pharmaca antiphlogistica in-et externa gradui mali adcommodata, in stadio relaxationis ad secretionem nunc nimiam coërcendam remedia adstringentia, et leniter excitantia, uti: sal ammoniacus, acetas cupri etc. siphonis ope in tubam Eustachii injiciuntur. Si muco in cavo tympani ruptura timetur, praestabit membranae hujus perforationem instituere. Eadem haec inflammatio chronica iisdem oppugnatur remediis ac acuta, nisi quod majores doses exhiberi debeant. Optimo cum eventu adhibentur in simili casu remedia errhyna e. g. ex ammonio carbonico cum Oleo majorani.

3. Otitis rheumatica.

Occupat partes auris fibrosas, uti: membranam tympani, perichondrium, periostium, et nevrilema, ab hinc vero ad alias quoque partes inflammatio serpit.

Manifestat semet per dolores aurium lacerantes, aut pungentes, vagos, periodice remittentes, ad partes etiam remotas diffusos, noctu, praecipue vero temperaturae vicissitudinibus et stragulis plumeis auctos, porro per aliarum quoque partium vicinarum affectionem rheumaticam, uti: odontalgiam, aut prosopalgiam.

Objective cernimus: meatum audit. externum tumidulum, tensum et rubentem, membranam tympani vasculis sanguiferis inspersam et laete rubram, secretionem ceruminis ab initio imminutam imo et penitus suppressam, serius vero adauctam et magis fluidam. Praeter haec localia signa adsunt quoque et universalia febris rheumaticae indicia, in specie sudores largissimi acidum odorem spargentes, et urinae lateritiae cum sedimento rosaceo.

Exitus. Morbus haud neglectus facile quidem sanatur, ast summa manet in reecidivas pronitas. Rarissime in suppurationem abit, frequentius in exsudationem lymphae plasticae, qua non absorbta remanent partium affectarum incrassationes cavitatum et ostiorum occlusiones, et hinc surditas.

Causae. Disponuntur individua tenera in rheumatismum in genere proclivia, praecipue cum cuti tenui in sudores prona, quae constitutio corporis jam est congenita jam vero acquisita, per vitae modum luxuriosum, regimen molle, auxiam aëris atmosphaerici fugam etc. Causae occasionales vix non unica est refrigerium totius corporis, aut aurium solummodo, unde transpiratio cutis intercipitur et supprimitur.

Therapia. Dirigitur in rheumatismum tum localis, tum universalis. Consistit autem ea in applicatione linteorum siccorum calefactorum, haec vero in propinatione leniter diapnoicorum, uti tartari stibiati dosi refracta, aceti ammoniacalis, florum tiliae, sambuci etc. In graviori malo accedente valida febri, phlebotomia instituatur, et evacuationes sanguinis locales iterentur, do-

nec symptomata inflammationis a ferocia remiserint, interne dantur purgantia antiphlogistica et ad exsudationem praecavendam Calomel, externe ungu. neapolit. imminuta inflammatione diaphoretica. In casu chronico ad cutim derivantia applicantur, interne vero antirheumatica: Sulphur. aurat. antim., pulv. Plumer., dulcamara, guajacum, aconitum etc. Ab omnibus instillationibus et injectionibus per totum morbi decursum abstineri debet, et regimen rheumatismo in genere conveniens servari.

4. Otitis arthritica-Otagra.

Afficit partes fibrosas auris: periostium, perichondrium et cartilaginem ipsam, aut cum alterius organi affectione arthritica incedit, aut ex hujus metastasi inducta est, jam auditum externum jam internum occupat.

a) *O. arthritica externa.* Hujus sequentia sunt symptomata. Auricula multum calet et prurit, cum molesta sensatione siccitatis in meatu auditorio externo, qui sensus magis magisque increscentes in dolorem urentem, scindentem et lacerantem late propagatum convertitur, continuus simul adest susurrus cum baryecoia, evolvitur in auricula rubor erysipelatosus, et tunica pori acustici pallide rubra cernitur, cerumine aut penitus privata, aut tenuibus crustulis hinc inde tecta, in membrana tympani minima et subtilissima vascula ramosa sanguifera conspiciuntur. Malo increscente epidermis defurfuratur, et cerumine uberius fluente compingitur, imo et pustulae aut furunculi sub dolorum incremento in concha et meatu in conspectum prodeunt, quibus ruptis grisciforme pus stillat. In aegris dyscrasia aliqua laborantibus, parietes canalis auditorii externi oedomatose tumescunt, et otorrhoea mali moris enascitur, non raro cum excrescentiis polyposis juncta; inflammatione saepius recurrente in tympano vasa vari-

cosa evolvuntur, et tali modo tympanum pedetentim obfuscatur, incrassatur et in degenerationem panno similem convertitur.

O. arthritica interna. In quidquam graviori casu incipit cum signis febrilibus, quibus praegressis accusat, aeger in ima aure dolorem gravissimum, intolerabilem, lacerantem, terebrantem, continuum, qui per totum fere caput diradiatur, sermocinatione et deglutitione augendum, de nocte pracipue saevientem ita, ut aeger ob dolores nimios persaepe in animi deliquium, convulsiones et deliria labatur, summa insuper adest erga omnes sonos oxyecoia cum continuo susurru aurium; decursu autem miti et exigua tantum irritatione phlogistica stipatum, aegrum nonnisi dolores vellicantes et lacerantes in aure, sub aëre humido ingravescentes, sub sicco autem remittentes vexant cum susurru, sensu oppletionis ac tensionis in aure nec non ardoris et siccitatis in faucibus.

Exitus. Faventibus circumstantiis benigna obtingit resolutio sub manifestis signis criticis, judicatur ut arthritis in genere; non raro sub fausto rerum cursu totum malum unico quasi ictu tollitur, si nempe processus arthriticus derelicta auri, ad aliam minus digniorem corporis partem transgrediatur. Si non resolvitur abit inflammatio in suppurationem, per tympanum ruptum aut perforatum effluit pus cum subsequo morbi decremento et aegri levamine. In minus felici eventu ad reliquos terminationum modos referantur: exsudatio in cavo tympani, tuba Eustachii, cellulis mastoideis, formatio concrementorum calcareorum in iisdem partibus, caries, baryecoia vel acoia.

Aetiologia. Disponunt eadem momenta, quae in arthritidem proclivia reddunt, uti: aetas provectior, sexus masculinus, habitus arthriticus, constitutio venosa, luxuriosum vitae genus, se-et excretionum naturalium et artificialium, quibus jam diu adsvetus vi-

xit organismus, praecox exsiccatio, subita suppressio abusus spirituosorum etc. Causis occasionalibus adnumerari debent, omnia quae otitidem provocare valent; saepissime autem refrigerium capiti aut pedibus susceptum, alias metastasis arthritica.

Prognosis. Malum est pertinax, summa in recidivas pronitas, et surditas semper timenda; eventus tamen prosper autumari potest, si malum externam solum aurem occupat et individua juniora robustaque plectit; minus faustus autem exitus est sperandus, in subjectis exhaustis sensilibus, cachecticis iteratam adfectionem arthriticam perpessis; infaustissimus vero in otitide interna est timendus.

Cura. In essentialibus ea est, quae et aliis otitidis formis congrua explanabatur, ut itaque non tantum affectionis localis, sed et morbi universalis nec non causarum occasionalium summus habeatur respectus. Ab initio antiphlogistica tum localis tum universalis, ea cum cautela ne frigida aut humida fomenta, aut ullae instillationes vel plane injectiones applicentur, fracta phlogosi anarthritica: Aconitum, bardana, sarsap. Guajac. etc., simulque derivantia fortiora ad cutim. praecipue fonticuli in usum vocantur; contra dolorem acerbum infricatur ung. neapolitanum cum opio, extracto hyoscyami, aut bellad.; suppuratio in meatu audit. aut in cavo tympani exorta, cataplasmatum et vaporum emollientium et sopientium usum indiget; obtinente effluvio puris canalis acusticus injectionibus lactis tepidi, decoct. alth. etc. est purgandus ea cum cautela, ut diligenter abstersus et siccatus sacculis tepidis foveatur. Quodsi autem languens nervi acustici actio, barycoia aut acoia remaneret, stimulantia externa applicanda in usum trahi debent, uti: linimentum volatile, oleum animale Dippellii etc. regioni temporum et aurium inungenda; vaporibus aetheris sulphurici, aut acetici in meatum auditorium externum in tubam Eusta-

chii dirigendis, resuscitanda est. Cura reliquorum posthumorum otitidis arthriticae ab ea, quae aliarum otitidis specierum consectariis convenit nullam patitur exceptionem. Feliciter phlogosi abacta, maxime in eo medicus sit atentus, regressum illius praepedire, in hoc opere frustra desudabit, nisi diathesis arthritica eradicatur; et omnes quae illam pariunt aut fovent potentiae amoveantur, cui scopo diaetam convenientem quoque pharmacis probis adjuvet.

5. Otitis scrophulosa.

Ad pertinacissimas inflammationes pertinet, quae auditus organo insidias parant, semperque sedem suam initio in partibus glandulosis et membranaceis auris ex et internae figit, unde et ad reliquos proserpere solet textus, et sequentibus stipatur characteribus: Ab initio otitidi catarrhali persimilis, mox sphaeram externam mox internam mox utramque insimul invadit, et cum organorum vicinorum phlogosibus, uti: ophthalmia, angina faucium scrophulosa etc. alternare solet. Aegri accusant dolores titillantes, per vices pungentes, aut scindentes in meatu audit. externo; tunica pori acustici cernitur pallide rubra, imo et tympanum ipsum obsidetur vasis sanguiferis; morbi acerbitate decrescente effluit humor albidus cremori aut lymphae similis, ab initio parcus, dein largus, foetidus et ita acris ut partes auris quas contingit, corrodat; recedente inflammatione secretum magis magisque imminuitur et fit spissius, donec penitus cesset, et organon auditus normalem pedetentim recuperet indolem. Morbo neglecto, secretio haec per annos durare potest sub hoc decursu lento fit, ut externa tympani lamina, porique auditorii membrana incrassetur et spogiosa reddatur, et sic occasio degenerationi granulosae, fungosae, polyposae

etc, praebeatur, et tali modo meatus persaepe obturatur.

Ubi autem phlogosis altiorem gradum adepta est; omnis organismus particeps fit et valida febri stipatur. Pustulae flavicantes in tubo acustico, aut tumores magnitudine pisi et colore pallido rubro insignes, sub dirissimis doloribus in conspectum prodeunt, quae saepius totum lumen occludunt, et omnis exploratio inhibetur, quibus ruptis pureque evacuato omnium molestiarum levamen intrat, et ulcera prodeunt; ulcera haec in subjectis prospera constitutione facilius sanantur, in dyscrasicis profundius penetrant, atque diutius et perniciosius decurrere solent ita, ut non raro fistulae oriantur, et substantia ossea meatus audit, carie afficiatur. Sub infausto eventu tympanum nunquam immune est, plerumque rubore profundiori tinctum et excrescentiis obsitum, vel perforatum quoque observatur, in tali casu blennorrhoea per humorem acrem, cavum tympani intrantem per primariam inflammationem insequi solet.

Otitis scrophulosa interna, raro substantiva occurrit, consuetim affectionibus scrophulosis organorum vicinorum secundario modo explicatur, acuta sub symptomatibus febrilibus et doloribus initio tensivis et obtusis in aure intima tardius punctoriis, terebrantibus et scindentibus, ad ipsas fauces currentibus, difficultatem deglutitionis causantibus, susurru intolerabili, tinnitu et magna impatientia junctis, qui cruciatus motu maxillae, tussi, sternutatione etc. ingravescunt, et increscente malo, longe lateque disperguntur; palatum molle, fauces, tonsillae et nares processu phlogoseos correptae, tument et muco crasso, tenaci obducuntur; tuba Eustachii occluditur. Summum fastigium inflammatio adepta symptomata cephalica, turbae functionum cerebralium, deliria et convulsiones, morte quandoque insequente in lucem prodeunt.

Resolutio raro, potissimum suppuratio insequitur;

praecedente exacerbatione dolorum pulsantium, pus sanguine mixtum, per membranam tympani ruptam effluit, vel per tubam Eustachii sub anhelitu, tussi aut sternutatione eliminatur, tali modo mitigantur cruciatus et sub felici eventu puris effluvium imminuitur. In multis casibus ossicula acustica per processum suppurationis destruuntur, inflammatio chronica fit, et qua blennorrhoea vel pyorrhoea se manifestat; saepe accidit, ut processu ulcerationis os petrosum plus aut minus devastetur.

Aetiologia. Eadem quae in genere in scrophulosi esse solent: igitur diathesis scrophulosa congenita aut acquisita, nutrimenta digestu difficilia, farinosa, glutinosa, magis vegetabilia, inhabitatio domiciliorum aëre udo, inpuro repletorum, spurcities omnis generis etc. topice vero dispositio fovetur per exanthemata acuta et chronica in vicinitate aurium. Ad momenta excitantia refrigerium, vicissitudines repentinae temperaturae, vere et autumno, dentitio difficilis; mechanicae et chemicae laesiones auris, metastases ex suppressis ulceribus, blennorrhoeis etc.

Prognosis. in otitide scrophulosa cautissime est statuenda, nam longo tempore durat, et recidivas celebrat, sub regnante tempestate humida. Eventum faustum praedicare fas erit, si morbus recens meatum audit. externum, tympanum et membranam auris mediae nonnisi obsidet, ubi nulla ulceratio aut degeneratio obtinet, et circumstantiae aegri in- et externae prosperae sunt; sub adversis circumstantiis minus faustum, infaustissimum autem est praesagium in aegris exhaustis, rhachiticis et carie mulctatis.

Therapia. Omnis in eo medici scopus sit directus, ut momenta morbi genetica arceantur, uno verbo ut diathesis scrophulosa debelletur, et quam primum eradicetur; ante omnem usum remediorum internorum, stadium otitidis, gradus, et sedes diligenter lustranda ve-

niunt; ubi malum imaginem inflammationis verae offert, sanguinis depletio localis, et in otitide interna ipsa universalis instituenda est. Interne antiphlogistica ad tubum intestinalem derivantia adhibenda sunt ita ut quotidie alvus ter quaterve moveatur; purgantia drastica nonnisi sub alvo pertinaciter clausa aut torpore magno indicantur, congestionibus ab organis auditus deductis et inflammatione fracta ad solventia fit transitus; ultimario, vel si phlogosis minoris est gradus initio therapia eo tendat, ut fons primarius, nempe scrophulosis ipsa, aptis remediis impugnetur. Ultimo scopo laudem merentur: antimonialia, mercurialia, pulver. Plumeri, carbonas lixiv., murias barytae, oleum jecoris aselli, spongia usta, Jodium, Bromum, etc. insuper balnea tepida, imprimis marina, et mineralia; cura remediis finiatur tonicis, rheo, cal. arom., centaur. min., trif. fibr. et china ipsisque martialibus.

Externe malo ad meat. audit. externum limitato, fomentis tantum tepidis auris obtegi debet, secretione muci facta, et turgescente membrana meatus, canalis per injectiones blandas, mundandus est, et solutio sublimati corrosivi (gran. 1.) in aqua destill. (unc. 2) addito laudano liquid. sydendh. aliquotis de die instillanda; si vero blennorrhoea decursum chronicum minetur, vel effluvium indolis serosae fit, solutio ex lapide divino, Zinci sulphurici etc. in connubio cum tinctura opii quadrat; in inveterata et torpida blennorrhoea cum magno in degenerationem nisu, cuprum sulphur., et lapis infernalis laudantur.

Si phlogosis acute decurrat, facta locali sanguinis depletione cataplasmata auri affectae applicentur, et injectio ex decoct. altheae et malvae in meatum audit. fiat; ubi pustulae et abscessuli in ulcera degenerant, summa mundities, et lapidis divini in aqua destill. soluti, cum laud. liq. Sydenh. instillatio obtineat; remanente tumore cutis, unguent. neapol., praecipt. rubr.

in auxillium vocatur; excrescentiae diversae remediis jam memoratis tractantur.

Otitidis scroph. inter. cura localis variat pro morbi sede et gradu. Quousque hic tunicam mucosam auris mediae nonnisi obsidet, eadem ac in catarrhali phlogosi therapia est instituenda, inflammatione longiori tempore perseverante tuba Eustachii et cavum tympani muco obstructum, et partes faucium ac narium molles, tumidae inveniuntur, injectiones aquae tepidulae, aut in nimia sensilitate et decocto malvae et herbae cicutae, serius ex solutione salis ammoniaci, praeprimis hydrojodureti lixiviae ope tubuli Itardi in nares et tubam Eustachii faciendae laudantur, in magna atonia membranae mucosae incrassatione et desorganisatione polyposa solutio aluminis, sulph. Zinci, aut martis, et cauterisatio lapidis infer. in auxilium vocanda veniunt. Sensilitate post otitidem fugatam remanente, cataplasmata cum herba cicutae parata, nec non inunctio unguent. mercur. cum opio in vicinia auris adhibeatur; in laxitate membranae muciparae residua, et profusa secretitione, injectiones aquae Conradi, solutio aluminis, lapidis divini etc. instituantur.

6. Otitis exanthematica.

Est ea, quae sub decursu exanthematum acutorum, aut vero his quoquo modo suppressis evolvitur; referimus huc sequentes species.

a) *O. morbillosam*, cujus imago, exitus et therapia a catarrhali non differt, in pertinacem blennorrhoeam aurium abire diligit.

b) *O. scarlatinosam*, in externa auri simillima est otitidi Erysipelatosae, abit facillime in otorrhoeam mucosam aut puriformem, in auri vero interna accedit magis ad indolem phlegmonosam, quo in casu eandem quoque curam exposcit.

c) *O. variolosam*, quae pariter jam magis erysipelas, jam phlegmone aemulatur, prouti variola ipsa, qua varicella solum aut qua variola vera semet manifestat.

7. Otitis gonorrhoica.

Haec species systema mucosum amat, et magnam analogiam cum catarrhali habet, partim exacerbationum ac remissionum defectu, partim specifica muci secreti qualitate ab ultima differt, ubi affectio gonorrhoica pori auditorii limites non transgrediens, lento passu evolvitur et incedit, sensatione pruritus et ardoris praegressa, rubor pallidus aequabilis absque notabili tumore in meatu hoc conspicitur, et serius mucus majore quantitate paratus ex eodem profluit; si autem acute decurrit, omnia phaenomena phlogoseos multo ferociora evolvuntur, nam pruritus et ardor initio ab aegris percepti, sat cito in dolores pungentes convertuntur, per omne latus adfectum excurrentes, membrana meat. audit. intumescit, et tumore ac rubore erysipelaceo notatur. His symptomatibus febris sat valida, susurrus, sirigmus et baryecoia sese adsociant. Ex meatu ab initio mucus albido-flavus spissus, in diem largior et crassior serius flavo viridis stillat, odorem proprium spargit, et meatum, auriculam plagasque vicinas corrodit, et pustulas quoque causat; tempore aliquo elapso fit fluidior magis albuminosus, et tumore pori acustici imminuto, lumen hujus iterum restituitur. Praemissa purgatione meatus exploratus, tunica ejus tumidula, relaxata, quasi holosericea excrescentiis obsita, tympanum perforatum plus aut minus destructum invenitur, aliquando blennorrhoea perstat per menses et annos.

Sub adversa rerum positione, imprimis gonorrhoea genitalium subito suppressa, phlogosis aurem internam occupat, et multa otitidis internae phlegmonosae signa

in conspectum prodeunt; facta suppuratione atrocissima mitigantur, et magno sub molestiarum levamine, tympano rupto ingens muci purulenti copia eliminatur; tali sub statu morbo non debellato, processus suppurationis et ulcerationis ad ossa ipsa progreditur, et exitus minus fausti timere facit.

Causae. O. gonorrhoica oriri potest duplici ratione, nempe: suppressione gonorrhoeae genitalium varia ratione inducta, et ex immediata infectione auris per mucum gonorrhoicum.

Praesagium, quousque malum ad aurem externam limitatur, fausta et eo magis, si non a metastasi ortum ducat, dubia, imo funesta, ubi ex metastasi progressum aurem internam plectit.

Therapia, tum generalis tum localis facienda, catarrhali proxima accedit; ante omnia eo adlaborandum ut momenta nociva evitentur, ut fervor symptomatum atrocium componatur, et affectio ipsa ad sedem natalem reducatur; altiori gradu otitidis gonorrhoicae methodus antiphlogistica in omni sua extensione indicata est; mitioris formae cum illa otitidis catarrhalis levioris coincidit; ad restituendam in organis genitalibus suppressam secretionem omnia quae in genere de gonorrhoeae suppressae therapia valent, subjungenda esse censeo; dolores intensi per cataplasmata emollientia et narcotica sopiantur, et mucus acris diligentissime, per mucilaginosas tepidulas injectiones educatur, profluvium vero tenue, serosum, acre instillationibus aquae oxymuriaticae cauta manu deleatur.

8. Otitis syphiltica.

Gravis haec inflammatio auris ingruit in individuis lue venerea universali mulctatis, et cumprimis ex angina aut ozaena syphilitica evolvitur. Occupat jam partes magis auris externas, jam vero intimas. In casu

priori levior inflammatio esse solet, et abit mox in ulcera, quae concham et meatum audit. extern. obsident, cum effluvio humoris saniosi acris, foetentis; offerunt haec omnes characteres ulcerum syphiliticorum in genere, et neglecta cariem ossium vicinorum causare solent. Aliquando teste Alibert et Neumann condylomata et excrescentiae aliae in poro acustico externo efformantur. Quodsi O. syphilitica aurim internam adgrediatur adhuc periculosior est, stipatur doloribus osteocopis nocturnis, terrebrantibus; inflammatio semper in ulcerationem abit, ulcera devastant non solum labyrinthum et alias partes organon auditus; verum et ad cavum oris extensa occupant tonsillas, velum palatinum, et pharyngem, denique efformantur gummata et tophi cum subsequa carie syphilitica, atque ossibus cranii quoque in consensum tractis, morbus per soporem, mortem paralyticam inducere valet.

Aetiologia. O. syphilitica in omni individuo, morbo venereo deturpato, per causas levissimas uti refrigerium, traumata, etc. aut per immediatam virus syphilitici ad organon auditus translationem produci potest; frequentissime tamen uti jam monitum anginae et ozoenae syphiliticae est sequela.

Prognosis pro varia parte apparatus auditorii quae affligitur, morbi gradu, duratione, et aegri constitutione variat.

Therapia. Ut indicationi causali satisfaciamus, lues ipsa ut morbus primarius radicitus est tollenda; indicatio altera exigit, ut mali localis vehementia antiphlogosi et quousque licet specifice temperetur. Si symptomatum topicorum et universalium exorbitantia urget, in robustis et plethoricis venaesectio et sanguisugarum adplicatio instituenda et per media purgantia infringenda est; tali modo inflammatione fracta conveniens cura antisyphilitica tum topica quam universalis gradui, durationis et complicationis morbi conveniens

instituenda est; conamen tamen primarium therapeutae eo in simul versetur, ut symptomata molestia uti insultus dolorum nocturnorum mitigentur, cui scopo mixtio unguent. hydrarg. et opii circa aurem infricetur, pari modo et aliis miseriis aegrorum in quod possibile therapiam adaequatam instituat.

Literatura.

Bratbek, Diss. de inflammatione aurium. Tub. 1667.

Wolf, Diss. in Galeni libros de affectione aurium etc. Helmst. 1619.

G. T. Duverney, traité de l' organe, de l' ouie etc. contenant les maladies de toutes les parties de l' oreille. Paris, 1683.

Aurei, (Corn. Celsi) de medicina libri octo. Patav. 1722.

Fritze, Diss. praecipuos aurium morbos sistens. Froncof. ad Viadr. 1789.

Ant. Scarpa, anat. disquisitio de auditu et olfactu. Paviae et Mediol. 1792.

G. T. B. Ettmüller, von den Krankheiten des Ohres. Lübek 1802.

K. G. Schmalz, medicinische Tabellen. Dresd. 1816.

J. G. Itard, traité des maladies de l' oreille et de l' audition. Paris 1822.

Val. nobilis ab Hildenbrand, Institutiones practico-medicae 1822.

K. Meiner, die Hrankheiten des Gehörs. Leipz. 1823.

Beck, die Krankheiten des Gehörorgans. Heidelberg und Leipzig, 1827.

M. E. A. Naumann, Handbuch der medicinischen Klinik. Berlin, 1829.

J. R. Bischoff Edl. v. Altenstern, Grundsätze zur Erkenntniss und Behandlung der Fieber und Entzündungen, 2. verb. Aufl. Wien, 1830.

Meisner und Schmidt, Encyclopädie der medicinischen Wissenschaften. Leipzig 1832.

J. N. nobilis de Raimann, Principia Pathologiae ac therapiae. Viennae 1835.

Theses defendendae.

I.

Consilia amicorum meliora, meliora paucorum.
Stoll.

II.

Theoria est corpus, praxis vero anima Medicinae.

III.

Medicus non utitur venenis.

IV.

Asthma acutum Millari, a tracheitide acuta infantum natura sua plurimum differt.

V.

Crescente cultura numerus morborum crescit.

VI.

Divisio morborum in universales et locales nonnisi relativa.

VII.

Aqua est strumae causa et remedium.

VIII.

Oculus humanus corporis et animae quasi speculum sistit.

IX.

Vinum sexui sequiori minus convenit, quam viris.

X.

Naturae ulcerum cognitio saepe difficillima.

XI.

Si Hypopion adest, cornea sub certis circumstantiis est aperienda.

XII.

Instrumenta chyrurgica inutilia e praxi eliminare praestat; quam nova adhuc pejora componere.

XIII.

Emphysema pulmonum vesiculare absque signis physicalibus dignosci nequit.